

0423

Cause

P. R.

1746

P R E C E S

Marchionis Don Julii Antonii Lucini,
& Com. Don Annibal Vicecomitis,
uti Delegatorum ab Utentibus
inferioribus Fluminis Olonæ

Legendæ

Actu propositionis Causæ vertentis
inter eos, & Officium ipsius
Fluminis.

P. R.



Ditum dicitur Votum Regii Fisci super emergentiis Fluminis Olonæ, &c, ut audierunt Utentes, non levem molem constituit. Quid specificè contineatur in eodem Voto certò affirmare nequeunt Utentes, quibus dumtaxat datum est de auditu aliqua colligere, quando gravitas negotii exigeret, ut sensa Fisci, vel pro motivo, vel aliter communicarentur.

Ubi vera sint nuntiata Utentibus relativè ad dictum Votum Fiscale, agnoscunt Utentes indispensabilem necessitatem nonnulla deducendi, ut M. V. possit, omnibus examinatis, opportunè providere indemnitati ipsorum Utentium.

Duas Causa hæc habet partes, quarum una respicit gravamina per Utentes deducta contra Officium Olonæ, altera vero concernit allegatos per Officium abusus, quibus occurrentum esse insteterunt Commissarius, & Cancellarius in eorum respectiva relatione.

Circa primam partem Causæ habuit Officium Commissarii ejusdem Fluminis omnem additum examinandi, recognoscendi, & legendi quidquid in eorum precibus Utentes exposuerunt, & quidquid continetur in documentis per eos productis, non ita tamen Utentes, qui ex mente Senatus M. V. dumtaxat potuerunt raptim videre deducta per Commissarium, & Cancellarium Officii, nec non documenta producta in tanta quantitate, & numero, ut parum credunt Utentes superfuisse in Archivio, quod non fuerit exhibitum, nisi forte aliquid in eo remanere potuerit, quod ad eorum intentum non faceret; Plures siquidem hebdomadę, ne dicantur menses, necessariæ fuissent Supplicantibus si documentorum prædictorum moles erat digerenda prout par est.

Sub beneficio itaque illarum notitiarum, quas Utentes habuerunt partim ex simplici, & indigesta visione eorumdem documentorum, & partim ex iis, quæ nuntiata fuerunt, aliqua deducent Utentes, ut saltem eo modo, quo possunt, eorum Causam defendant, sperantes M. V. suppleturam fore in iis, qui ex causis præmissis plene discuti non potuerunt.

Sicuti vero, ut præsenserunt Utentes, principaliter Regius Fiscus egisse dicitur de Dominio dicti Fluminis, quod Utentes allegaverunt consecutivè ad Instrumentum transactionis diei 7. Maii anni 1610., quod Fiscus acriter impugnat Utentibus, ita abs re non erit, ut M. V. habeat omnia, quæ ex dicto Instrumento transactionis emergunt, ex quibus judicare valeat an Regius Fiscus virtute dicti Instrumenti transtulerit in Utentes simplicem usum aquarum dicti Fluminis, ut prætendere dicitur in ejus Voto,

4. 5. 1610

to, an vero transtulerit in Utentes omne Jus tam possessionis,
quam Dominii, ut prætendunt Utentes.

Ex ipso Instrumento, quod fuit productum inter Scripturas hujus
Causæ, viderit M. V. quod usque de anno 1518. Fiscus contem-
debat dictas aquas Olonæ sui Juris esse, quod subhorta lite circa
Jurisdictionem hujus Causæ inter Senatum M. V., & Magistra-
tum Reddituum Extraordinariorum, plures superinde emanarunt
providentiæ tum ab Illustri Locum Tenente, tum ab Aula Regia
Madriti.

Quod Civitas Mediolani prætendebat ei competere Dominium di-
cti Fluminis. Quod late agitatum fuit Juditium super æditione
titulorum, quibus Utentes dictis aquis fruebantur, per Regium
Fiscum prætensa, & per Utentes denegata, eo sub motivo, quod
non ageretur de Flumine regali.

Quod Magistratus prædictus devenerit ad Sententiam, qua declara-
vit omnes buccas esse obturandas, salvo jure cognoscendi super
juribus eorum, qui jura sua produxerunt.

Quod post obturationem nonnullarum buccarum, dimissis aliis aper-
tis, mediante fidejussione præstita, Utentes petierint coram Se-
cretiori Consilio revisionem dictæ Sententiæ, producto libello,
aliisque hinc inde inter Regium Fiscum, & Utentes factis acti-
tatis, quæ tandem relata fuere in dicto Excelso Consilio.

Quod pendente decisione dicti Juditii revisionis proposita fuerit
transactio, quæ præviis opportunis solemnitatibus conciliata re-
mansit in modum sequentem, videlicet:

Primò, quod præfatus Illusterrimus D. Præses Polus, & Illustres D. D. Que-
stores dicto nomine teneantur renuntiare, prout virtute præsentis conventio-
nis, & transactionis renuntiaverunt, & renuntiant dictæ omni liti, & cau-
sæ, ac omni prætensioni, quam præfatus Regius Fiscus ejusque Camera quo-
vismodo habet, & habere potest, ac possit in, & super dicto Flumine Olone
ejusque causa, & occasione, & contra quoslibet Utentes aquis dicti Fluminis,
vel uti prætendentes, pro quibus mota est lis; Quæ omnia jura, quæ dicta
Regia Camera habet dictus Illustris Magistratus virtute auctoritatis de qua
supra TRANSTULIT, ET TRANSFERT in præfatos omnes Utentes, ita ut
præfati omnes Utentes liberè, & absque ulla exceptione dictis aquis, & FLU-
MINE uti valeant omni impedimento ipsius R. Fisci penitus cessante, salvo ta-
men semper dispositionibus N. Const., quibus nullo modo censeatur derogatum nisi
respectu dicti juris, & facultatis utendi dictis aquis, quarum respectu conve-
nerunt Partes ut imposterum dictis Utentibus nulla inferatur, vel inferre va-
leat controversia, quin imò teneantur permittere, prout ex nunc permittunt,
quod omnia per dictum Illustrem Magistratum, & Regium Ducalem Fiscum
facta circa usum dicti Fluminis, vel aliter in præjudicium dicti Utentium in-
pristimum reducantur, non obstantibus quibusqq; Proclamationibus, Æditis,

Pre-

1518

layo leante
MADRIZ

POLI
quesione

Præceptis, Sententiis, & actis in favorem Fisci hinc retrò securis ; Quæ omnia, quatenus concernunt præjuditium dictorum Utentium prò infectis habentur, quodque omnes Utentes dictis aquis admittantur, & non impedianter, nec turbentur quoquo modo circa liberum usum, & facultatem utendi dictis aquis, ET FLUMINE, & dependentibus ab eo, prout utebantur. Ad quem effectum etiam, & alias ad omnem bonum finem præfatus Illustris Magistratus fecit, & facit prædicta omnia, & singula, quatenus expediatur, & utile sit, vel necessarium, & non aliter &c. dicti Fisci nomine cum solemnibus tenore cessione jurium, & actionum, TRANSLATIONE DOMINI, ET POSSESSIONIS, SEU QUASI, solemnis constituto constitutione Missi, & Procuratoris in rem suam propriam, positione in sui locum, jus, & statum, & cum promissione defendendi &c. pro suo dato, & facto tantum &c. ita quod ob jura Tertii competentia, & quæ competere demonstrantur, non teneatur Fiscus ad aliquod pretium pro rata restituendum, nec aliter &c., salvis tamen semper supra, & infra reservatis, & salvo quod non possint uti beneficio præsentis Instrumenti, & contentorum in eo aliqui, qui non obtemperaverint pro portionibus eorum promissis in præsenti Instrumento, & taxam eis impositam, & imponendam etiam juxta ordinata per Excellentissimum Senatum non solverint in terminis eis intimatis, seu intimandis, sed omne jus accrescat aliis solventibus, & observantibus contenta in præsenti Instrumento.

Hæc transactio, sive translatio, per Regiam Cameram facta etiam relative ad jura dictæ Sententiae Magistralis, habuit pro correspeditivo Scuta sex mille à libris sex Imperialibus pro quolibet, quæ in pluribus terminis promiserunt Utentes solvere in Regia Ducale Thesaureria hujus Civitatis.

Liberantur Utentes ab omni, & toto eo, quod præfatus Regius Fiscus, seu Regia Camera, ac Magistratus prætendere potest, potuisse, ac posset super DICTO FLUMINE ejusq; causa, & occasione, & pro omnibus ab inde dependentibus, & à dictis Utentibus, & quolibet eorum, ita quod dicti Utentes nullam amplius prò prædictis prætensionibus, vel aliqua earum pati possint molestiam, sed liberati intelligantur generaliter, & generalissime.

Et ut latius ex dicto Instrumento dictorum diei, & anni recept. per Joseph Crassum Reg. Duc. Cam. Notarium, inter scripturas hujus causæ producto.

Ex visceribus hujus Instrumenti plura deducuntur, quæ innegabili-
tèr convincunt Utentes dicti Fluminis aquisivisse omne jus, quod
Fisco, & Regiæ Cameræ non solum competebat, sed etiam quid-
quid prætendere, aut petere posset etiam consecutivè ad Senten-
tiæ Magistratus superindè latam; Et sicuti certum est Regium
Fiscum occasione dictæ Sententiae prætendisse, & obtinuisse in
Sententia prædicta Dominium, & proprietatem dicti Fluminis,
dum adigere intendebat Utentes ad productionem titulorum, in

quorum defectu intendebat, ut Fistulæ obturarentur, ita positis Utentibus in locum, jus, & statum Regii Fisci, dici debet translatum in eos illud idem jus, quod Fisco competebat, vel compertisse declaratum fuit in Sententia.

Secundò deducitur derogatio Nov. Constitutionibus in iis, quæ concernunt jus, & facultatem utendi aquis dicti Fluminis, quidquid sit de aliis dispositionibus dictarum Legum provincialium, usum aquarum non respicientibus. Inter ea, quæ disponit Lex provincialis circà jus, & facultatem utendi aquis recensetur onus, injunctum Utentibus, satisdandi penes Officium, & in actis Notarii de non utendis aquis contra formam Ordinum, hoc onus dici debet sublatum virtute dictæ transactioonis ex derogatione, quæ continetur in Instrumento, in quo licet exclusa remanserit dispositio Nov Constitutionum, tamen modificata fuit exclusio, sive reservatio respectu eorum tantum, quæ non respiciunt jus, & facultatem utendi aquis, prout est dispositio cogens ad præstatu-
nem dictæ fidejussionis.

Nec obesse posset animadversio, quod dictæ clausulæ dici debent appositiæ potius ex stylo Notarii, quam ex Contrahentium mente, sive quia sunt clausulæ, coherentiam habentes cum qualitate contractus, qui in dispositiva Instrumenti stipulatus fuit, nec disconveniunt translationi jurium per Regiam Cameram factæ favore Utentium, sive quia clausulæ generales in contractu per Notarium appositiæ, quatenus non repugnant substantiæ ejusdem contractus, censi debent appositiæ de voluntate Contrahentium, potissimum quando Contrahentes ipsi sunt in dignitate constituti, & juris periti, prout in nostro casu, quia tunc præsumendum eos non fuisse permisuros, ut in Instrumento contractus aliquid explicaretur, per quod vel expressè concederetur, vel dubitari posset concessum fuisse, quod non intendebant concedere.

Minusque officit, quod cum Illustri Civitate, de Fluminis proprietate contendente, non sit transactum, quia retento quod Fiscus consecutus sit ejus favore declarationem proprietatis ejusdem Fluminis, mox in transactioñe translata sint in Utentes etiam iura, competentia ex dicta Sententia, perceptibile non est, quomodo Regio Fisco venire potuerit in mentem prætendendi non fuisse translatum in Utentes jus dictæ proprietatis, ex eo solum, quod contentio super proprietate non vigeret cum Utentibus, sed quidem cum Illustri Civitate, quæ posset quidem juribus suis contrà Utentes experiri, ut potè successis in locum, jus, & statum Regii Fisci, cum quo anteà quæstio erat circà proprietatem Fluminis, sed nusquam inferri posset, quod Regius Fiscus præten-
dere

dere possit contra litteram Instrumenti proprietarem Fluminis non transtulisse in Utentes, eo quia quæstio super proprietate promota fuit ab Illustri Civitate, potissimum ubi per Sententiam Magistralem dicta proprietas fuerat favore Fisci declarata. Nec quæstio per Illustrem Civitatem excitata adversus Regium Fiscum super proprietate Fluminis impedire potuit, quin post reportaram à Regio Fisco declaratoriam pertinentiæ ejusdem proprietatis stipulari potuerit transactio, qua mediante in Utentes transiret jus favore Fisci declaratum, licet ab Illustri Civitate impugnatum, quia sola prætentio Tertii ad causam venientis non inficit contractum, sed ad plus considerabilis esse potest, ut Tertius admittatur ad exercendum contra Utentes illud jus, quod judicialiter proposuerat contrà Regium Fiscum.

Præceteris tamen dignetur M.V. animadvertere, quod in dicto Instrumento non tantum transferuntur in Utentes jura Fisco competentia circa aquas dicti Fluminis, sed etiam circa ipsum Flumen, ut habetur ex verbis Instrumenti superius relatis, quamobrem inferendum est, quod post transactionem prædictam diversimodè judicandum sit de juribus Utentium, quam judicandum esset ex dispositione Nov. Const. ne dnm respectu concernentium usum aquarum, sed etiam relativè ad facultatem concessam Utentibus circa omnia, quæ dictum Flumen quoqq; modo respiciunt.

Fortius cum non agatur de Flumine Regali, quia nec navigabile est, nec aquis suis aliud reddit navigabile Flumen, prout loquendo de Flumine Olonæ sanxisse Sen. Excellentiss. refert Raudens. var. resol. cap. 68. in fine, quem allegat, & sequitur Caroell. de servit. & aqu. disquis. 14. sub num. 17. vers. Si osservi circa finem.

Qualiscumque siquidem sit, vel esse possit natura hujus Fluminis, vel publici, vel regalis, nil post transactionem Regius Fiscus defumere potest, quod immutare valeat substantiam Contractus cum eo stipulati ab Utentibus, saltem ad effectum de quo agitur. Transegit Regius Fiscus, & transactionis titulo, transtulit in Utentes omne Jus, quod habebat in Flumine. Translatio facta fuit ad effectum ut Utentes liberè uti possent aquis, salvo semper Jure Molendinorum, annexam habentium Causam, & utilitatem publicam. Duo itaque ex hoc Contractu respectu Fisci, & Utentium innegabiliter prodeunt; alterum scilicet quod aquæ Fluminis quoad facultatem utendi tempore debito, & citra Molendinorum præjudicium, spectent Utentibus, in illa eadem proprietare, in qua ante transactionem spectavisse declaratum fuerat Regio Fisco. Alterum vero quod respectu Regii Fisci nulla amplius possit quæstio promoveri circa proprietatem aquarum,

per

per quam liber usus vel cohaeretur, vel diminuatur alioquin transactio praedicta nihil operaretur, quia in Utentes nihil translatum esset ex iis, quæ littera transactionis præbet Regiam Cameram transtulisse in Utentes.

Debuerunt Utentes ipsi de hac re latius agere, quam fortasse par esse quis crediderit, ut M. V. percipiat nimis esse repugnantia litteræ dictæ transactionis nonnulla, quæ per Officium prætenduntur, prout est Jus prohibitivum pescationis in eodem Flumine. Si enim nihil amplius post transactionem Regio Fisco competere potest in aquis dicti Fluminis. Si Officio unicè destinato per leges Provinciales ad curandam tum Fluminis conservationem, tum legum observantiam pro recto usu aquarum, nullum Jus in dictis aquis nec ex proprio instituto, nec aliter competere potest, non erit profectò excogitabile, quomodo pescatio in aquis, quarum usus privativus etiam quoad Fiscum competit Utentibus, possit prohiberi Utentibus ipsis, qui ex lege transactionis oppnere possunt Fisco, tui non interest, aut interesse potest.

Unicè quoad pescationem proponitur asserta præscriptio, quam Regius Fiscus admittere videtur in præjuditium Utentium, licet exinde omnem excludat eorum favore, & in quibuscumque circumstantiis prescriptionum; Circumfertur siquidem Regium Fiscum in ejus Voto admisisse, quod in Flumine publico cuilibet competit facultas pescandi, nisi aliter consuetudine, vel præscriptione inductum sit, prout inductum esse admittit favore Officii, & Amplissimi Conservatoris. Fundamenta allegatae possessionis, & consuetudinis defixa afferuntur in Ædictis, quæ etiam antiquissimo tempore publicata dicuntur, prohibentia pescationem sine licentia Amplissimi Conservatoris.

Profectò durum videtur Utentibus, quod si aliquid in præjuditium Utentium longo tempore fiat per Officium, admittatur statim Jus prescriptionis, & consuetudinis, licet aliter disponat lex, si vero Utentes aliquid in præjuditium Officii per longum tempus vel fecerint, vel facere recusaverint, non solum nulla admittatur præscriptio, sed totum tanquam abusus damnetur, ita ut præscriptio contra Utentes favore Officii, semper admittatur, favore autem Utentium, & contra Officium semper damnetur.

In materia pescationis, quæ in Flumine publico cuilibet permitta est, non aquiritur Jus prohibendi, nisi probetur, quod Jus habentes pescandi aquieverint prohibitioni, de qua aquiescentia adhuc doctum non fuit, & licet, ut afferitur, plura per Officium producta fuerint Ædiæta, prohibitiva etiam sub poena; Tamen tria retinenda sunt, quæ Ædicatorum observantiam, & per consequens Utentium aquiescentiam excludunt.

PESCA

PESCA

Pri-